



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

Verba Apocalypseos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 19. Vers. 21.) *Et ceteri occisi sunt in gladio, sedentis super Equum, qui procedit de ore ipsius: & omnes aves saturatae sunt carnibus eorum.*

S. I.

De Occisione per gladium.

Occisio
salubris:

Aliud est Bestiam, Imperium infidelium, & Pseudopphetam missos esse in stagnum ignis: aliud ceteros esse occisos gladio Equitis albi, cui finis est propositus vincere, & salutem afferre gladio suo iis quorum ferit animas efficaciam verbi sui & sternit. Etenim S. Joannes post narrationem de damnatione istorum duorum, Bestiæ & cum ea Pseudopphetæ in stagnum ignis ardentis sulphure: de pleraque multitudine aliorum mutat, & ait: **CÆTERI OCCISI SUNT IN GLADIO, SEDENTIS SUPER EQUUM; QUI PROCEDIT DE ORE IPSIUS**: utique sermone Domini qui salubriter occidit quorum è medio tollit errorem, & scelera, & corrigit in terris.

Gladio:

2. Hanc occisionem, & hunc gladium. ancipitem oris Domini, describit S. Doctor Augustinus in psalmum 149. *Sermo DEI, ait, gladius bis acutus. Unde bis acutus? &c. Venit ergo Dominus noster ferens gladium bis acutum; promittens aeterna, implens temporalia.*

*Duo Testamenta ad gladium bis acutum pertinent: vetus Testamentum terrena promittit; Novum aeterna: In utroque sermo DEI verax inventus est ut gladius bis acutus. Post pauca describit phalanges illo DEI termone armatas, & stragem quam edunt: quod est hujus maximè loci. Jam, fratres, videtis Sanctos armatos: attendite strages: attendite gloriosa praelia. Attendite quomodo cæsa sunt gentes Babylonia. Dicamus nos, Antichristianæ: Nam de Paganis idololatræ ibidem Augustinus profequitur: Quomodo, inquit, Pagani occiduntur? querimus nos quomodo occisi sint gladio sancto Judæi, qui modò Antichristiani. Respondet: Quomodo, nisi cum Christiani fiunt? Quæro Paganum, & non invenio: Christianus est; ergo mortuus est Paganus. Fundat hanc occisionem in Scriptura: Nam si non occiduntur, unde dictum est Petro, *Macta & manduca?* (Act. 10. v. 13, & Act. 11. v. 7. nostra vulgata versio habet: *occide & manduca.*) Et adducit exemplum occisi, Act. 9. *Unde ipse Paulus occisus est persecutor, & Paulus erectus est**